עמנואל

Mirabimini forte, nec immeritò Illustres Generosi Viri, quid Causæ sit, quod animos vestros publicis Curis, negotijsque assiduè intentos, districtosque manium literarum mearum lectione, nimisque temerè interpellare non erubescam. Verum si aliquam huius facti mei rationem admiseritis, Certum est, aut admirari desinatis, tantum abest, ut sitis vel audaciam interpretaturi, vel alicuius damnaturi temeritatis. Postquam enim Cuidam exercitio meo Academico, ab augusto nomine vestro, decus et splendorem quærere non erubui. Iure quodam vobis mihique id vindicante, faciendum existimavi, ut scriptum illud, quod iam vobis inscriptum, apud exteros dedicatione ac nitore nominis vestri fulget, coram lectionem, ac illustrem aspectum vestrum subeundo, eius, quo, iam nitet splendoris augmentum consequeretur: Hinc inductus eò processi protarviæ, ut literas has adiungerem, quibus gratiæ ac favori vestro sese penitus insinuaret: vel ideò quoque, quod sicuti de benevolentia erga me vestra nihil dubito, ita mihi planè persuasum habeo, vos non omninò abhorrere ab hoc exercitationum genere, quamvis umbratili et scholastico; quippè quod pro materia et obiecto habet iustitiam et æquitatem; Cuius vos non solum studiosos, et amantes, verum etiam vindices acerrimos nunquam non extitisse, hactenus universa Belgium nostrum loquitur, testantur tot labores, et munera publica maximè ardua, quibus fulg Societatis humanæ fulcitur: quorum ut tandem fructum nobiscum videatis, Cum sublatis armis pax in Europa florebit, faxit Deus. Opt. Max. Illud igitur quale quale sit, vobis, Illustres Viri, hisce una reverenter transmitto, et addico meritò, ut est in antiqua formula: cupioque hanc προσφώνησιν testem esse meæ erga vos observantiæ, ac submissionis sempiternæ. Vos ergo Magnifici Viri supplex oro, ut hunc quasi ingenij mei fœtum, quam strenæ loco vobis designo, mittoque, benigno vultu, affectuque suscipere, me promotionemque meam in gremio favoris vestri imposterum fovere dignemini: Ita vos Deus bono Reipublicæ quam diutissime incolumes superstitesque conservet; Imprimis autem vobis, totique familiæ vestræ, hunc novum annum per omnia quam felicissimè evenire Cupiat.
Valete Viri Eminentissimi, ut meremini. Dabam raptim Franekeræ Anno 1645 ipsis Kalendis. Januarij

Illustr. Vestr. eminentiæ
observantiss. cliens ac
mancipium
Ioan. Gilenius
IV. candidatus ac
SS. Theol. studiosus.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

B.P.L. 1961
Gilenius Johann Theolog

siehe Jöcher
suchte die Vereinigung aller Religionen mit allem Fleiße zu befördern [illegible]

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 1961
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3863

VIRIS

Generosiss. magnificis literatissimisq.
D.D. CHRIST. ab HUIGENS domino
in Zuijlechem. ut et D. JAC. JUNIO
utriq. serenissimo principi Auriaco
à secretis et Consilys secretioribus
Mecœnatibq. dominisq. suis modis oibq.
Colendissimis.

Franc. Haga Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 1961
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3863